Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cultus iouis · et dixerunt ei · Audisti que iussit comes · Sanctus concordius respondit · Vos sci
tis · Illi dixerunt · Aut sacrifica ioui · aut capitalem sententiam accipies · Tunc beatus concor
dius gratias agens deo · dixit · Gloria tibi domine ihesu christe · Et exspuit in faciem iouis · Tunc
unus ex eis euaginans gladium · amputauit caput eius · et in confessione domini · emisit
spiritum · Tunc duo clerici religiosi uiri · uenientes tulerunt corpus eius · et posuerunt eum
non longe a ciuitate spolitana · ubi aque multe emanant · Dies natalis sancti concordii
martyris · Kl' ian · in quo die · Prestante domino nostro ihesu christo · ceci illuminantur · infir
mi sanantur · leprosi mundantur · demones expelluntur · orationibus eius · Prestante eo pro cuius
amore passus est · Qui uiuit et regnat in secula seculorum amen ·

Vita sancti iohannis Crisostomi constantinopolitani archiepiscopi ·

Iohannes itaque fuit antiochenus · filius secundi et anthuse nobilium personarum ·
discipulus sophiste lybanii · et auditor andragathii philosophi · Cumque se
ad aduocationem prepararet · considerans molestias litigantium · iniustique
uite propositum · elegit quietem · et hoc fecit emulatus euagrium · quo et ipse diu
isdem studiis erat usus · quietam magis secutus est uitam · Mox igitur scemate mu
tato pariter et diuinis incessu · lectionibus incumbebat · et frequentius ad sanctam
concurrebat ecclesiam · Hoc agens · persuasit etiam theodoro et maximo qui fue
runt condiscipuli eius apud sophistam libanium · ut pomposam relinquerent ui
tam · et simplicem sequerentur · Quorum theodorus postea episcopus ordinatur mopsuestene ecclesie ·
maximus autem seleucie et ysaurie · Porro iohannem degentem cum basilio tunc a meletio
facto diacono · et postea cesaree capadocie presule constituto · zeno episcopo ab ierosolimis
reuertens lectorem in ecclesia antiocena constituit · In quo officio adhuc positus · librum
edidit contra iudeos · Post paucum uero temporis etiam diaconatum a meletio promeretur · de
sacerdotio alium librum fecit · aliosque plures explanauit · Postea uero meletio in constan
tinopolitana urbe defuncto · recedens iohannes a meletianis · et neque paulino com
municans · tribus annis continuis sub quiete degebat · Postea uero paulino moriente ·
ab euagrio eius successore presbiter ordinatur · Ante episcopatum itaque hoc modo conuersatus est · Fuit igitur
uir · ut aiunt · propter zelum castitatis seuerior · et propter rectitudinem incautus prospice
re de futuris · propter simplicitatem uero oris · libertate profusus · apud colloquentes non
mediocriter utebatur · docendo precipuus · erat utilis ad corrigendos audientium
mores · in confabulatione uero arrogans · a nescientibus putabatur ·

Post mortem uero nectarii constantinopolitani episcopi · alius alium episcopum ordinari